QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

die Iouis xxv. Ianuarij.

M. CAROLO BRISSET, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE

Est-ne Medicus ſenſualis Phyſicus?

I.

HOMO ad intelligendum natus, vt rerum omnium ſingularium imagines ab objectis emiſſas exciperet perciperetue, & in ſe reconditas adunaret defæcatiores, quarum interuentu rationem propriam ſibi compararet, organis ad id opus indiguit. Ideò à Naturâ ornatus eſt omni ſenſu exquiſitiſſimo, non eo tantùm ad vitam neceſſario, ſed ad lætiùs beatiuſque viuendum accommodato; tactum & guſtum cæteris animantibus communem habuit longè præſtantiorem, non ſquamis, non villis, ſetis, cruſtiſue obductam cutem, ſed carnem nerueam toti extenſam corpori, molliorem acutioris, duriorem obtuſioris ingenij indicem, αἰσθητήριον ἁπτικὸν obtinuit; linguam ſortitus eſt non adhærentem, non duram, ſed latam, mollem, expeditam, τῶν χυμῶν ἕνεκεν καὶ τοῦ λόγου. Quam hi proximo ſenſationem objecto, ſuam remoto eliciunt alij, editumque habuere locum in capite velut ſpeculâ poſiti, qui excubarent, inter quos nobilior viſus, vel ipsâ oculorum fabricâ ſpectandus; in his tam paruis quæ ratio? quanta vis? quàm inextricabilis perfectio? nec minoris commodi auditus, miris excauatus modis, ita ad diſciplinam datus, vt qui eo careat à naturâ, velut elinguis nec diſcat, nec doceat. Poſtremus tandem accedit odoratus, cujus dignitas vel eo patet, quòd ſagaces naſutos vocent. Satis autem non eſt externa habuiſſe inſtru-

menta, nisi & interna concurrerent, à quibus, Cerebro scilicet, manat per neruos spiritus copiosus, limpidissimus, temperatissimus ad sensoria; tunc vis animæ sopita excitatur, exceptæ species animaduertuntur, inde vehuntur ad sensum communem, vbi distinguntur, vt à materiæ fæce secretiores objiciantur intellectui, qui ad illarum velut speculi nitidissimi intuitum apprehendit præsentia, diuisa conjungit, ex prioribus posteriora colligit & concludit. Vnde hominis structura præstantior, qui licet à pluribus in quodam sensu superetur, in omnibus vincit omnia; Aquilæ clariùs cernant, Vultures sagaciùs odorentur, liquidiùs audiant Talpæ, homo rerum omnium discrimina accuratiùs dignoscit quolibet sensu, quo qui sæpiùs vtitur, sensualis dicendus.

II.

FELIX qui tanto instrumentorum apparatu instructus nouit rerum causas, quas vni Naturæ deditus contemplationi Physicus, penitiùs inuestigat. Miratur sublunarium à cælestibus ordinem; an aliunde temporum momenta, tempestatum vicissitudines, æstus maris reciproci? miratur Elementorum inter se mille modis pugnantium societatem, vnde mistorum generationes. miratur vnde pars in viuente quęlibet à nullo docta, tam rectè suum opus cudat. Hinc curiosior factus, corporum materiam, formam, motum, quantitatem, terminum, locum & tempus indagat; quorum omnium causam vnam appellat Naturam, quo nomine nihil notius, definitione nihil abstrusum magis, quóque latiùs diffunditur, eò magis ignoratur; quasi ea sit rerum indoles vt in se manifesta, cognitu fiat difficillima. Valeant deliramenta Veterum, qui quam non audent inficiari, insimulant; quid aliud Gigantum more pugnare cum Diis, quàm Naturæ repugnare? Hanc qui negas, ortus tui authorem nescis; vox sit ambigua, sit multiplex, vnum rerum omnium parentem agnosce, Deum Opt. Max. in quo velut circulo à bono in bonum jugis fit circuitus. Ab eo fluit Natura particularis, omnibus quæ cælorum ambitu continentur, certo, non promiscuo ordine indita; illam Theologus contemplatur, hanc perscrutatur Physicus.

III.

MEDICVS præcipuo jure particularem rimatur Naturam, non illam vt principium & causam motus

& quietis ejus in quo ineſt primò & per ſe, & non per accidens, quod ſolius Phyſici munus eſt; ſed in quantum ad hominis, cui vni ſtudet, ſanitatem conducit. Ea ratione mundum peragrat omnem; modo in ſublime elatus, ſiderum proſperos vel aduerſos ortus & occaſus proſpicit: modò in terræ penetrat viſcera, perſequitur omnes ejus fibras, metalla, & foſſilium omne genus eruit arte in ſalutem ceſſura. Modò quicquid hæc benigna & communis Mater, vſuſque mortalium ſemper ancilla fundit, quæ gremio complexa ſuſtinet, & plantas, & animalia quærit; omnium vt fiant alimenta, vel medicamenta virtutes impenſiùs ſcrutatur. Tot tantiſque inſtructus præſidiis ad ſuum aggreditur opus, cujus Naturæ, poſitæ in humido primigenio inſito ſpiritu & calore vndique perfuſo, prius apprime cognitæ vni inſeruit, vnam rectè agentem ſæpe ad ſtuporem vſque ſpectat, quantum poteſt imitatur, ſopitam excitat, reuocat aberrantem, in officio confirmat.

I V.

SANITATEM indiuiduam comitem Naturæ, in juſta partium ſimilarium temperie, concinna diſſimilarium conformatione, vtrarumque connexione apta poſitam, Medicus ſeruat præſentem ſimilibus, ſublatâ causâ morbificâ abſentem reuocat, quod vt aſſequatur ſenſibus debet. Primum corporis humani ſectioni, propria inſpectione incumbit, partium ſubſtantiam determinatæ facultatis domicilium, temperiem ſimilarium formam, illam per ſecundas, hanc per primas qualitates ſenſiles detegit; earum eâdem αὐτοψίᾳ contemplatur figuram, magnitudinem, numerum, ſitum, & vnionem, vnde actionem & vſum dignoſcit; hæc ſolâ vt plurimum duce fouentur Naturâ: quæ ſi manifeſtè peruertantur, inde morbus, cujus ſpeciem, cauſam & ſedem, vir medendi peritus, actionis læſione, proprietate doloris, ſitu, excrementis, propriis accidentibus judicat. Vnde acceſſitus, auditis tum ab ægrotante, tum ab aſſidentibus, à quo tempore, quibus & quantis vexatus fuerit æger ſymptomatis, qua methodo curatus, ſenſum adhibet omnem in præſenti ſtatu dignoſcendo. Laboret aluina regio, omnem ejus ambitum in primis hypochondria pertractat, explorat linguam, excrementorum ſiue vomitu, ſiue ſeceſſu ejectorum conſiſtentiam, copiam, qualitatem intuetur, inuitus odora-

352

tur. Malè habeat thorax, arteriam attrectat; respirationem ponderat; sputum & vrinas curiosis oculis inuestigat. Quid plura? doleat cerebrum, oculos, frontem, vultum denique totum, qui tacitus quidam sermo mentis est, inspicit; audit vocem vitæ indicem; motum & sensum membrorum considerat.

V.

MORBORVM omnium causæ antecedentes plethora & cacochymia; Medicus illam venæ sectione tollit, hanc emendat pharmaciâ, vtrique diætâ succurrit. Encyclopedia sua instructus irridet occultas, occultiores suis authoribus remediorum facultates; fabulas putat incantationes, amuleta nugas, miracula sæpiùs superstitiosa negligit, suis credit sensibus, alimentorum vt medicamentorum vires non characterismis, sed odore, sapore, experientia comprobat; graui verborum lenitate authoritatem sibi conciliat, præscribit magna præsidia, ad quæ stupeat imperitum vulgus, fideique suæ insolentium ambitiosæ vltrò concederet, quod fidelissimis sensibus non potest denegare. Nec ideo impietatis insimulandus Medicus, imò secretiora quę in mundo sunt arcana nouit & miratur; vnde Dei supremam agnoscit Majestatem & veretur, animam hominis fatetur & probat spiritalem, ideò quod sensibus deprehendatur aliud statuit actionum principium vir sensibus addictus tandem non hominem καθ' ὅλου quod sola mente concipiatur, sed καθ' ἕκαστον, quia sensilem curat; Inde conjector simul & certissimus artifex. *Ergo Medicus est sensualis Physicus.*

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Bonuarlet. *M. Ioannes Grout.* *M. Ioannes Garbe Schol. Professor.*
M. Nicolaus Rainssant. *M. Antonius Ruffin.* *M. Paulus Courtois.*
M. Iacobus Boujonier. *M. Petrus Pourret.* *M. Petrus Moriau.*

Proponebat Lutetiæ CAROLVS MARTEAV Laudunæus, A. R. S. H. M. DC. LXIII.

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET Typographum Regium, viâ Citharæ, ad insigne Adorationis Regum.

1114.